

Praesulum charus, Ducibus que nostris

Saepe patronus.

Docta tu fratrem Bilibaldum in urbe

Norica doctum sequeris pudica,

Graece qui claro ingenioque miscet

Scripta Latinis.

Nuper in diros cecidi latrones,

Aurum et argentum mihi qui auferebant,

Et dabant nostro truculenta saevi

Verbera tergo.

Dulce solamen mihi epistola mox

Virgo reddebas variis medelis,

Quae mihi tristes pepulere et acres

Mente dolores.

Hinc tibi grates meritas rependo,

Virgo Germanae decus omne terrae,

Charitas nostra recolenda semper

Pectore virgo!

Tuis sanctis et sororum tuarum orationibus me commendo.

II.

Sodalitatis litterariae (Celticae sive Rhenanae) epigrammata in opera
Roswithae.

1. *Joannes Dalburgius*, Wormatiensis Episcopus, sodalitatis litterariae per universam Germaniam Princeps

Quae paucis aetas concessit patria sexus,

Roswitha virgineo praestitit ingenio.

Aliud ejusdem:

Afro laus scenae, lyra Flacco, bella Maroni:

Multiplicem laurum Roswitha docta gerit.

2. *Joannes Trithemius*, Abbas in Sponheim.

Cur non laudemus Germanae scripta puellae?

Quae si Graeca esset, jam Dea certa foret.

Adde, quod hos cecinit quam priseo tempore versus,

Hinc sexcenteno Phoebus ab orbe redit.